





1773, 34

QVAESTIO
IVRIS CONTROVERSI
AN
IVS GLANDIS LEGENDAE
EIVS SIT, CUI IN SYLVA COM-
PETIT VENATIO

QVAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
PRAESIDE
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITER. DVISBVRG.
SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO

DIE XXVI. IVNII ANNO MDCCCLXXIII.

DEFENDET

WILHELMVS CHRISTOPHORVS
WINTRVFF

VEIDA - VARISCVS.

LIPSIAE
LITERIS RVMFFIIS.




AN
IVS GLANDIS LEGENDAE EIVS
SIT, CUI IN SYLVA COMPE-
TIT VENATIO.



§. I.

Frustra est, vt disputemus, an inter regalia ius venandi referendum sit, quale quid vulgo adferitur. Ridiculum esset, inter vera referre regalia, quasi maiestas cogitari non posset, nisi lepores, vulpes et apros venaretur, et in deliciis illis venatoriis reipublicae finis deprehenderetur. Ferarum venatio iure Romano libera erat, nec inter regalia maiestatis vnquam relata, licet monarcha imperaret. Poterat itaque et maiestas et monarchicum cogitari imperium, quamuis inter iura maiestatis ius perseguendi feras haud connumeraretur. At inter populares, conuiuentibus ciuibus et vasallis, haec sumfisse sibi iura, vt alios, nisi ex beneficio concesserint a venando coereuerint, maiestates, constat. Referunt inter minora regalia, quae nulla sunt, quam ius in *αδίσπορα*. Sed haec exposuit *Celeb. STRUBEN Tr. von der Jagdgerechtigkeit* et in *denen Nebenstunden zur Jagdgerechtigkeit*.



§. II.

Est autem Venatio nostris moribus beneficium a maiestate datum, vi cuius in territorio aliquo feras capere permissum est bestias, quarum persecutio alias legibus interdicta prohibitaque priuatis. Neque itaque fundi aliquius proprietas venandi ius domino tribuit, neque is, cui syluae usufructus concessus propterea licite venationem exercebit. Concedo posse interdum usufructum venandi ius comprehendere, si constituens usufructum venandi ius simul in suo habeat patrimonio. Sicuti enim is, cui venatio concessa, illam alii exercendam permittere in suo fundo potest, ita si usufructum illius fundi, cum quo coniuncta est venatio, constituerit cuidam, vix dubitari potest, nisi vel in constituto usufructu sibi venationem reseruauerit, vel ita sese in conuentione declarauerit, vt exinde appareat, noluisse, vt usufructuarius venatione simul fruatur, quod dein ex ipsa conuentione iudicandum.

§. III.

In regula ergo verum manet, usufructum non continere venandi ius. Fac, alium fundi esse dominum, alium in eo fundo ex beneficiario iure venari: Nunquam usufructuarius venabitur. Quare si mea sit sylua, in que ea alteri usufructum constituam: usufructuarius vtatur fruatur sylua vel in caedendis lignis ad proprium usum, vel ad ea vendenda *L. 9. §. f. π. de usufruct.* Neque usufructuarius consuetudinis ipsius domini rationem habet, quantum ipse ligna vendiderit, vel quo tempore caedere solitus fuerit, *L. 48. §. f. de Vusufruct.* Seruat vero in vtenda fruendaue sylua officium boni patris familias, vt finito demum usufructu, syluam integram, non destructam et corruptam proprietario restituat. Ita enim natura usufructus exigit. Sicuti vero mihi ipsi venandi ius haud competebar, ita in concessio usufructu venandi licentiam comprehendere

dere non potui. Quapropter si in hac mea sylua alius ex maiestatis beneficio venandi ius obtinuerit, licet mihi sit plenum syluae dominium, nihil tamen licebit, per quod venandi ius turbatur, vel quod impedit, quo minus aliter suo sibi concessio venandi iure frui possit. Probant hanc opinionem KNIPSHILD *de ciuitat Imper. Lib. II. cap. VII. n. 96. sqq.* STRVVIVS in *Syntagm. Iur. Feud. Cap. VI. §. 11 n. 4.* LEYSER in *Iur. Georg. L. III. cap. XI. n. 44. sqq.* Si ergo domino syluae haud tribui possit facultas agendi aliquid, quod venationem alteri competentem turbet atque impediatur, multo minus tale quid moliri poterit usufructuarius vel vsurarius, vt monuit REINHARD *de Iure Forestali Germanor. Sect. II. §. XI. p. 102.*

§. IV.

Iam ad quaestionem propositam veniamus: *An ius legendi glandes eius sit, cui in sylua competat venatio.* Quamuis glandis nomine ex iure ciuili omnes fructus, quae in arboribus crescunt, intelligantur, vt patet ex *L. 236. §. 1. n. de Verbor. signif.* ad quod CAII fragmentum consulendus GOEDDEVS in *Comment. ad Tit. de V. S. c. L. et L. vnic. §. 1. n. de glande legend.* tamen in nostra quaestione proposita magis sensu proprio vtamur vocabulo. Non quidem nego, non abhorrere a quaestione nostra artificiosum illum significatum iuris, quippe et syluestria poma pyraque in syluis interdum crescere solent. Imo et nuces in iis proueniunt; at quia circa glandes respectu faginationis porcorum variae lites veniunt, neque de reliquis pomis tot quaestiones agitentur, malumus in proprio vocabuli vsu persistere.

§. V.

Non est dubium, eum, cuius est sylua, si in ea nemini venandi ius competat, suos facere glandes legendo, de iis legendis cum aliis pacisci posse, imo licere quam-

que ab aditu syluae arcere, ne glandes auferat. Docet et experientia, quot conuentiones incantur de faginatione porcorum in syluas agendorum eo tempore, quo glandes ad maturitatem venire, quod dicunt. In die Eichelmast treiben. De hac ergo specie nulla quaestio oriri poterit controuersa.

§. VI.

Neque de ea specie disputandi causa superest, videlicet, si silua eius, cui in ea venandi ius competit, propria sit. Quis enim prohibeat, ne, quem syluae usum habere possit et velit, habeat. Non enim ipse glandes legere poterit, verum legendi facultatem cuiuis concedere. Poterit amplius vel suos ad faginandos porcos in syluam agere, vel ut aliis id liceat, cum iis pacisci. Quamuis enim dominium syluae ob publicam necessitatem et vtilitatem aliquo modo ex legibus soleat esse restrictum, ne scilicet syluae irreparabile damnum inferatur, quod probat MEVIUS *Part. VI. decis. 258. n. 2.* tamen de glandibus percipiendis quidquid suscipiatur a domino, vel qualiter paciscatur, nunquam metuendum erit, irreparabile damnum syluae illatum iri.

§. VII.

Contra, si aliena est sylua, in qua maiestas venandi ius cuidam concessit, an proprietario, an vero, qui venandi ius habet, glandibus uti fruiue liceat, dubitatur. Plerique qui hanc tractarunt causam, domino syluae adimunt, illudque ius legendi glandes ei tribuunt, cui venandi potestas a superiore concessa. Defendit hanc opinionem Roe Meurer vom Jagd. und Forstrechte P. II. Tit. Ob die Eicheln. u. STRVVIVS in *S. Iur. Feud. cap. VI. Thef. XI.* et BEYER in *Post. Iur. Feud. Cap. V. in f.* qui adeo in suam causam praeiudicium adfert. Causam huius opinionis quaerunt in hoc, quod cum alter venandi iure gaudeat, necesse

necesse sit, vt et ferae deprehendantur, quae vero depre-
 hendi non possent, nisi pabulum deprehenderent, quare
 dominus syluae legendi glandes iure frui non posset, quip-
 pe lectis glandibus inutile quasi venandi ius efficeretur.
 Sed dubito, an recte. Quapropter alii limitate litem
 definiunt, putantes, tot glandes relinquendas, quot ad
 feras alendas sufficiant. Ita sane REINHARD *de Iure*
Forestal. German. c. 1. Non ergo plane ab vsu glandis le-
 gendae dominum syluae excludunt. Vna vero difficul-
 tas supererit maxime in hac opinione, definiendi quanti-
 tatem, quot videlicet sufficiant glandes ad alendas feras.

§. VIII.

Quapropter ante omnia in hac quaestione viden-
 dum est, an leges aut consuetudines speciales in provin-
 cia vel territorio aliquo adsint, ex quibus cuncta aesti-
 manda. Cum enim, pro vt ferunt patriae nostrae insti-
 tuta, imo ex vniuersalibus rerum publicarum praeceptis,
 sequitur, maiestati competere debere ius ferendi circa
 causas forestales venatoriasque leges, ita, si quae vel ex-
 pressae latae sint, vel tacito maiestatis consensu iura in-
 ualuerit, quae legendi glandes ius definiunt determinant-
 ue, subditis tunc obsequii gloria relicta, atque si lis inter
 eos enata, ex his legibus recte decidenda. Adde et pa-
 trorum rationem habendam esse, si quae inter eos, quo-
 rum interest, pacta adsint. At si nec lex, nec consuetu-
 do, nec pactum litem definiat, quid tunc iuris sit? Sine
 dubio cum glandes inter fructus proventusque naturales
 arborum referendae, fructus vero ad eum pertineant cu-
 ius est arbor; putem, domino syluae competere ius le-
 gendi glandes iisque fruendi. Princeps enim, qui in
 fundo venandi ius confert, alteri ius quoddam tribuit per-
 sequendi feras, quale sub domini notione ob principis
 iura in adspota non comprehenditur. Inuestigando ergo
 alterum

alterum cum iure venandi, nunquam praesumi potest, principem voluisse domino restringere iura sua sibi competentia. Cum vero glandes tanquam fructus naturales percipere ad dominii iura pertinet, certissimum est, principem nec voluisse adimere hocce ius. Sola, quam patitur dominium restrictio in eo quaerenda, ne eum, cui venandi ius competit ab aditu ad sylvam arceat, cum vi dominii quemque alium arcere possit. Neque probari potest, dominum fundi obligatum esse ad feras saginandas, quo alter venari possit, sufficit, dominum sylvae nihil suscipere, quod alterius venandi ius vel impediatur, vel in eo turbetur. Quis vero sibi persuadeat, colligendo fructus arborum, dominum turbare alterum in venatione. Si haec; turbaret aequae caedendo arbores, quale tamen ius domino sylvae competet, nemine negante. Neque obstat, quod ferae dein careant pabulo necessario. Sit: aderit medium aliud quo efficere possit is, qui venandi ius habet, ne pabulo careant, scilicet si ipse pabulum suis feris curet. Nec insolitum est, feris pabula curare, si forsitan deficiant. Quapropter utique putem, veriozem esse sententiam, qua domino ius competit glandes colligere, iisque, tanquam fructibus fundi sui, uti fruiue.



ULB Halle

3

004 758 501



56





1773, 34

QVAESTIO
IVRIS CONTROVERSI
AN

IVS GLANDIS LEGENDAE
EIVS SIT, CUI IN SYLVA COM-
PETIT VENATIO

QVAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
PRAESIDE
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITER. DVISBVRG.
SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO

DIE XXVI. IVNII ANNO MDCCCLXXIII.

DEFENDET
WILHELMVS CHRISTOPHORVS
WINTRVFF

VEIDA - VARISCVS.

LIPSIAE
LITERIS RVMPEIIS.

